
Clement VIII, Pope of Rome. Bullae Papae Clement VIII: Decret Romanum Pontificem..... dated 9th September 1603.

- In: Laerzio Cherubini, Angelo Maria Cherubino. Magnum bullarium romanum, a Clemente VII vsque ad Gregorium XV. P. Borde, L. Arnaud & C.I. Rigaud, Lyon, 1655, vol.3, p.144-147

Confirmatio vnionis Militiarum SS. Mauritij & Lazari. Innouatioque Hospitalitatis in locis S. Lazari, cum aliquorum indultorum declaratione.

C II.

Plene de Antiqua Militia S. Lazari, notauit sup. in const. 28. Pij V. Sicuti. lib. 2. Institutionem autem Militia S. Mauritij à Duce Sabaudie erecta, vide sup. in const. 6. Greg. XIII. Christiani lib. 2. Et utriusque Militia vnionem habet, in eiusdem Greg. const. 7. Pro commissa. sup.

C L E M E N S E P I S C O P V S, *Edita A. D. 1603.*
Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

DEcet Romanum Pontificem, in supremo militantis Ecclesiae folio, & Apostolicae potestatis, plenitudine, immensa Redemptoris nostri benignitate constitutum, attente considerationis suae aciem in agri Domini eius curae commissi circuitu vigilis Pastoris more reuoluere, ac inter cetera quid pro militiarum & hospitalium quorumlibet, praesertim sub regularibus institutis, ac sua & Apostolicae Sedis protectione, ad eiusdem Redemptoris nostri gloriam, Ecclesiae praedictae exaltationem, fidei Catholicae defensionem, illius hostium & aliorum infidelium iniurias propulsando, simulque pietatis & charitatis opera exercenda institutorum, necnon personarum illis sub salutiferae Crucis signo adscriptarum, felici directione, profectibus & commoditatibus conferat, diligenter prospicere, ad praedecessorum suorum gesta ad id tendentia, ut firma & illibata persistat, nedum approbationis suae praesidio communitate, sed eorum etiam aliqua temporis successu ex apparentibus causis labefactata atque subrogata pristino statui restituere, & alias in his prouidentiae suae partes fauorabiliter interponere, prout militiarum & hospitalium huiusmodi qualitibus, Catholicorum quoque Principum illis Praefectorum, insignibus erga Ecclesiam & Sedem praedictam meritis, ac rerum & temporum circumstantiis debite pensatis, conspicit in Domino salubriter expedire,

PROCESSIONUM.

§. 1. Cum itaque alias postquam fel. record. Pius Papa Quartus praedecessor noster hospitalitatem pauperum leproforum Sancti Lazari Hierosolymitani, priscis quidem temporibus florentem, & illustrem, sed nunc iniuria temporum non parum imminutam, & quasi prolapsam, illiusque militiam, magnum Magistrum, Conuentum, milites, & personas, eorumque Ecclesias, domos, hospitalia, praecceptorias, loca, membra, subditos, vassallos, colonos, animalia, praedia, res, & bona quaecumque sub beati Petri, ac sua atque Sedis protectione susceperat.

Pius v. Hospitaliale S. Lazari eiusque Militiam sub Sedis Apost. protectione re-duxit, ut supra in eius constis. 95. Inter lib. 2.

§. 2. Omniaque & singula illis per diuersos Romanos Pontifices praedecessores suos concessa priuilegia, exemptiones,

Prinilegia eorum confirmamus ut ibidem.

ptiones,

ptiones, & à iurisdictione ordinariorum libertates, immunitates, & à contributione & solutione decimarum & onerum facultates, præminentias, prærogativas, iurisdictiones, indulgentias, gratias, & indulta spiritualia & temporalia benigne concessa & elargita, Motu proprio, & ex certa eius scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine confirmauerat, approbauerat, & innouauerat.

§. 3. Ac nouæ etiam facultatis pro singulis Militibus, ac presbyteris, capellanis, hospitalis & militiæ huiusmodi, tunc & pro tempore existentibus, vnam vel plures pensiones annuas, vsque ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera nouorum, super quibusuis fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus, obuentionibus, emolumentis, distributionibus, etiam quotidianis, & rebus Ecclesiasticis sibi alias canonicè referuatas, seu referuandas aut illarum loco, fructus, redditus, prouentus, iura, obuentiones, emolumenta, distributiones, etiam quotidianas, & res huiusmodi illis assignata & assignanda, vsque ad summam prædictam quoad viuerent, & si ipsi milites matrimonium iuxta hospitalis & militiæ huiusmodi instituta & stabilimenta, contraxissent retinendi & percipiendi concessione ampliauerat.

§. 4. Pæ mem. Pius Papa V. etiam prædecessor noster quibusdam ex eis recisis ac eliminatis, ac alias modo & forma tunc expressis & præscriptis per quasdam suas literas sub dat. Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ 1566. septimo Cal. Februarij, Pontificatus sui Anno secundo, approbauerit & innouauerit, quarum literarum formam, & tenorem hic de verbo ad verbum pro expressis & insertis plenarie haberi, & quodcumque etiam ad partem ad omnem simplicem requisitionem magni Magistri, conuentus, ac cuiuslibet Militis, Præceptoris, & alterius interesse habentis, exprimi & extendi posse, & vbiq; in iudicio & extra fidem facere volumus decernimus, & mandamus.

§. 5. Postmodum autem idem Pius V. sua perpetua constitutione quinto Idus Septembris, eiusdem Pontificatus sui Anno tertio edita quæ incipit, Sacrosanctum, inter alia reuocauerit & aboleuerit omnia & quæcunque priuilegia, facultates, dispensationes, & indulta eiusdem S. Lazari, ac omnibus & singulis aliis hospitalibus, militiis eorūque militibus, fratribus, & personis, de pensionibus, fructibus, & aliis rebus Ecclesiasticis per ipsos milites obtinendis, precipiendis, ac etiam in alium, vel alios transferendis per quoscūque Romanos Pontifices prædecessores suos, ac ipsummet pium V. & dictam Sedem, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, & pro fidei Catholicæ, aut dictæ Sedis defensione, & quibusuis aliis causis quantumuis grauibus, vrgentibus, & onerosis, concessa, & confirmata, ac etiam multiplicatis vicibus innouata, ita quod dicti milites, siue coniugati, siue bigami, siue clerici, aut presbyteri forent, nullas de cetero reciperent, sed eas solas, quas tunc habebant, citra facultem ipsas transferendi retinerent, & illæ quoque per futurum contractum matrimonij extinctæ censerentur.

§. 6. Deinde vero recol. mem. Gregor. Papa XIII. similiter prædecessor noster ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, dictæque fidei in Sabaudia & Pedemontis regionibus defensionem, militiam S. Mauritij martyris, sub regula Cisterciensi, cuius suprema Sedes & conuentus in loco ad id à bon. mem. Emanuele Philiberto Sabaudia Ducce, tunc in humanis agente in ipsa regione Sabaudia assignando & statuendo perpetuo esset, & in ea Magistratum vnum Magnum nuncupandum supremam illius dignitatem pro vno Magistro cum militum & ministrorum numero sibi beneuolito, ac mensa magistrati, officijs, iuribus, iurisdictionibus, & insignibus consuetis, ab aliarum huiusmodi militiarum instar per quasdam erexerit & instituerit, ac Magistratum prædictum à primæua illius erectione huiusmodi tunc vacantem prædicto Emanueli Philiberto Duci, eiusque successoribus Sabaudia Ducibus, qui Duces pariter & magni Magistri essent, concesserit & assignauerit.

§. 7. Et subinde diligenti meditatione considerans sic de nouo erectam & institutam militiam, magnos proculdubio fructus, tali præsertim ductore, fidei prædictæ allaturam esse, sed multo tamen maiores si aliis adiumentis

& auxiliis fulcita & munita foret, militiam hospitalis S. Lazari prædictam, tunc Magistri regimine, & ex magna parte pristinis suis priuilegijs, honoribus & præminentijs destitutam, cum eius Magistratu, Prioratibus, Præceptoris, Hospitalibus, & alijs beneficijs regularibus, eorumque membris, grangijs, castris, villis, domibus, possessionibus proprietatibus, fructibus, & bonis tam mobilibus quam immobilibus, ac se mouentibus, iuribus & actionibus vniuersis nec non Ecclesijs, capellis, terminis, & pertinentijs quibuscumque ad illam spectantibus quæcunque quocumque qualiacumque & vbiq; forent, exceptis tamen iis quæ in regno & dominijs tunc existentis Hispaniarum Regis Catholici, consistebant, dictæ militiæ S. Mauritij, ita quod ipsa deinceps in perpetuum militia SS. Mauritij & Lazari nuncuparetur, ac prædictus Emanuel Philibertus, & pro tempore existens Sabaudia Dux, & militiæ S. Lazari huiusmodi Magister esset & appellaretur, nec non Prioratus, Præceptoris, & alia beneficia eiusdem militiæ S. Lazari, & illa obtinentes, alijque milites, capellani, & personæ, curæ, gubernio, & iurisdictioni ipsius Ducis, & magni Magistri, in omnibus & per omnia subessent, prout antea suberant, sibi que tanquam membra capiti obediunt & obsequerentur, ac alias sub certis modo & forma, & cum facultatibus tunc expressis, ac onere quod idem Emanuel Philibertus, & pro tempore existens Dux, & magnus Magister duas triemes militibus prædictis instructas pro Romani Pontificis pro tempore existentis, dictæque Sedis contra hæreticos, piratas, & alios illius hostes defensione continuo manutenere teneretur, per quasdam alias sub dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo septuagesimo secundo, idibus Nouembris Pontificatus sui anno primo, perpetuo vniuerit, annexerit, & incorporauerit.

§. 8. Ac per reliquas suas sub eadem posteriore data concessas literas, statum, essentiam, dependenciam, & instituta, omnia regularia dicti hospitalis S. Lazari, in omnibus & quibuscūq; Prioratibus, Magistratibus, Præceptoris, Hospitalibus, Ecclesijs, Capellis, & alijs beneficijs regularibus, nec non membris, grangijs, & locis eiusdem militiæ S. Lazari, & ab eo quomodocumque dependentibus, in Regnis & dominijs prædicti Philippi Regis consistentibus, & ab huiusmodi vnione, vt præfatur exceptis, sine præiudicio illa obtinentium, etiam perpetuo, suppresserit & extinxerit, ac ad statum secularem omnino reduxerit, illaque omnia cum suis castris, villis, domibus, proprietatibus, rebus, & bonis immobilibus, & se mouentibus, iuribus, actionibus, & pertinentijs, vniuersis vbiq; ac cuiuscumque qualitatibus, quantitatibus, speciei, naturæ, & annui valoris existentibus, ab eodem hospitali S. Lazari, eiusque & aliorum quorumcumque ipsius locorum dependencia, correctione, visitatione, auctoritate, & dispositione, etiam per fundationem, priuilegium, statutum inueteratum, præscriptamque consuetudinem, ac alias quomodocumque pertinentium, similiter perpetuo exemerit & liberauerit, sibi que & dictæ Sedi immediatè subiecerit, eademque omnia si tunc vacabant, & quotiescumque & vbiq; in perpetuum vacarent, suæ & Romani Pontificis pro tempore existentis, ac eiusdem Sedis Apostolicæ dispositioni dumtaxat specialiter & expresse referuauerit, inhibitione, ac irritanti, & alijs decretis desuper appositis, prout in singulis literis, & constitutione prædictis plenius continetur.

§. 9. Dicta autem militia SS. Mauritij & Lazari huiusmodi successoris regimine & directione multiplicato, & strenuorum militum cruce eiusdem Redemptoris Domini nostri signatorum numero, rāquam secundo facta non parum adacta, ac propagata noscatur, & si Ecclesiæ, Hospitalia, atque loca tanquam membra à suo capite, vt præfatur diuisa, distracta, & secularia effecta, ad ius & proprietatem militiæ SS. Mauritij & Lazari huiusmodi reducerentur, aliaque infra scripta fierent, & ordinarentur, sperandum omnino sit, vt illa maiora in dies, tam in spiritualibus, quam temporalibus suscipiat incrementa, illiusque magnus Magister, milites, & alia personæ, & promptius & feruentius ad egregiam & fidelem operam prædictæ Sedis Apostolicæ, & populorum illi subditorum defensione perpetuo nauandum, accendantur & animentur.

Indultum pensionis duc. 500. concessit, ut ibid.

Nota quod bis Pont. reducit ad 400. ut inferius.

Pius V. dicta Primi regis & indulta declarauit, & reformauit in sua const. 28. lib. 2.

Hic Pont. eadem approbat ut inferius.

Indulta omnia retinendi pensiones postea generaliter reuocauit, ut in alia eius const. 7. Sacrosanctum, lib. 2.

Gregor. XIII. Militiam S. Mauritij instituit in loco per Ducem Sabaudia designando, ipsumque illius Magnum Magistrum creauit, ut in eius constit. 6.

Et quædam loca in ditione reseruatæ, ad statum seculare rediit, & dispositioni Sedis Apostolicæ referuauit ut ibid.

Nota quia hic Pont. hanc reductionem hinc inf. reuocauit.

Ex hac vnione magnum euenit incrementum, & maius in dies speratur;

Hic idem Pontificatus approbat circa privilegia & indulgentia Hospitalium & Militum S. Lazari, saluis modificationibus infra dicendis, & aliis contentis in d. const. 28. Pij V. Secuti lib. 2.

§. 10. Nos de præmissis omnibus & singulis plenissime informati, tam Carolum Emanuelem Ducem & magnum Magistrum, qui præter sui generis ex clarissimis Imperatoribus deducti splendorem, & eximia erga Ecclesiam, & Sedem Apostolicam prædictam deuotionis, & fidei feruorem non sine summa animi pietate, & fortitudine, ac flagranti tuendæ & propagandæ Religionis Catholice zelo gerere comprobatur, suorumque progenitorum exemplo antiquam illorum æstimationem, ac perpetuam virtutis & gloriæ hæreditatem, quasi per manus traditam singulari nostræ benignitatis & munificentie fauore prosequi; ac alias prædictæ militiæ Sanctorum Mauritij & Lazari indemnitati, decori, & ornamento cõsulere, dispendiisque occurrere volentes, his & aliis rationabilibus causis adducti eundem Carolum Emanuelem Ducem & magnum Magistrum à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutum fore censentes, Motu proprio non ad ipsius Caroli Emanuelis Ducis & magni Magistri, vel alicuius alterius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiâ, sed de mera liberalitate, & certa scientia nostra ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnia & singula priuilegia, exemptiones, immunitates, liberalitates, præminentias, prærogatiuas, facultates, iurisdictiones, indulgentias, gratias, & indulta, spiritualia, & temporalia hospitalis Sancti Lazari, illiusque militiæ magno Magistro, conuentui, prioribus, præceptoribus, militibus, fratribus & personis eorumque Ecclesiis, domibus, hospitalibus, præceptoris, locis, membris, rebus & bonis per Pium Quintum, ac quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, dictamque Sedem Apostolicam vt præfertur, vel alias quomodolibet, & per modum communicationis & extensionis, in genere vel in specie, concessa, approbata & innouata, necnon omnes & singulas litteras Apostolicas desuper confectas, saluis tamen quo ad facultatem obtinendi pensiones limitatione nostra infra scripta, & etiam aliis limitationibus, modificationibus, reductionibus expressis & contentis in literis Pij Quinti prædecessoris huiusmodi, sub data prædicta vij. Calendas Februarij, Pontificatus sui Anno secundo confectis prædictis, ac iuxta illarum formam, normam, continentiam, & tenorem quas hic pro plenarie, sufficienter, & de verbo ad verbum expressis ac insertis haberi volumus, non tamen quo ad ea quæ primo & secundo dicti Gregorij prædecessoris super militiæ S. Mauritij erectione & institutione, ac illi de militia S. Lazari huiusmodi facta vnione, necnon prædicti Emanuelis Philiberti, ac pro tempore existentis Sabaudie Ducis in magnum Magistrum eiusdem militiæ Sanctorum Mauritij & Lazari constitutione & deputacione confectis præsentibus literis contrariantur, illorum omnium & singulorum, ac literarum huiusmodi tenores, formas, continentiam, causas, circumstantias, & occasiones, præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, Apostolica auctoritate, tenore earundem præsentium, præsertim illas Pij Quinti sub dicta data septimo Calend. Februarij ansecundo, perpetuo approbamus, confirmamus, & perpetua roboris firmitate communimus, ac etiam de nouo concedimus.

§. 11. Ipsamque militiam SS. Lazari & Mauritij, necnon illius magnum Magistrum, conuentum, priores, præceptores, milites, fratres, & personas, ac eorum Ecclesias, domos, hospitalia, prioratus, præceptorias, loca, membra, res, & bona quæcumque aduersus quascumque illorum & cuiuslibet eorum reuocationes, abrogationes, cassationes, annullationes, derogationes, & alias contrarias dispositiones à dicto Pio Quinto prædecessore post eandem diem septimo Cal. Februarij emanatas, & specialiter prædictam illius constitutionem, necnon status, essentia, & insignium regularium, hospitalis & militiæ Sancti Lazari huiusmodi, in prioratibus, magistratibus, præceptoris, hospitalibus, Ecclesiis, capellis, & aliis beneficiis regularibus, necnon membris, grangiis, & locis dicti hospitalis, seu etiam militiæ Sancti Lazari, & ab illa vel ab illo

dependentibus, in Regnis & Dominiis dicti Philippi Regis consistentibus, & ab vnione prædicta exceptis, suppressionem & extinctionem, illorumque ad statum secularem reductionem, & Romani Pontificis pro tempore existentis dictæ Sedis Apostolicæ liberæ dispositioni reservationem, liberationem, & subiectionem ab eisdem à dicto Gregorio prædecessore, vt præfertur, factas litteras desuper confectas prædictas, & in eis contenta quæcumque necnon in pristinum, & eum in quo antea quomodolibet erant statum, vsu, naturam, regimen, administrationem, possessionem & consuetudinem, in omnibus & per omnia, perinde ac si nunquam emanassent, sine tamen præiudicio modernorum eorumdem prioratum, præceptoriarum, hospitalium, Ecclesiarum, capellarum, & aliorum sic ad secularitatem reductorum, ita vt illa cum primum, per cessum aut decessum ipsorum modernorum possessorum, vel alias quouis modo, aut quodcumque & vbiicumque etiâ apud Sedem Apostolicam prædictam vacauerint, eorumque res & bona, ad ius & proprietatem dictæ militiæ SS. Lazari, & Mauritij eo ipso absque aliqua declaratione vel citatione, aut cuiusuis iudicis decreto seu ministerio, ac spolij, & attentatorum vitio reducantur, atque ad illius magni Magistri pro tempore existentis, liberam & omnimodam dispositionem spectent & pertineant, & deinceps, vt ante suppressionem, extinctionem, & reductionem huiusmodi regi & gubernari & administrari, exceptis dumtaxat Præceptoris Capuæ & Ephæzæ, olim dicti Hospitalis & militiæ Sancti Lazari, quæ iuxta posteriorum literarum Gregorij prædecessoris huiusmodi formam & continentiam seculares, & dictæ Sedis dispositioni reseruatæ remaneant, auctoritate & tenore prædictis restituimus, reponimus, & plenarie reintegramus.

§. 12. Ac vnionem de militia S. Lazari, militiæ Sancti Mauritij huiusmodi vt præfertur factam etiam ad hoc, vt nedum vna alteri particulariter vel accessorie, sed ambæ inuicem æque principaliter cum suis respectiue priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, prærogatiuis, præminentis, facultatibus, iurisdictionibus honoribus fauoribus, indulgentiis, indultis, concessionibus & gratiis quibuscumque perpetuo vnitæ, & donec proprius atque determinatus locus pro sua Sede conuentuali à Magno Magistro stabilitus fuerit, illam in loco solitæ residentie dicti Ducis & magni Magistri habere cõseatur, ac pro tempore existens magnus Magister, Conuentus, Priores, Præceptores, milites, fratres, & persone, etiam quod firmam & propriam Sedem conuentualem non habeant, vt præfatûr, eorûque Ecclesiæ, domus, hospitalia, prioratus, præceptorie, loca, membra, res, & bona illis, omnibus & singulis eorumque vsu fructu, commodo, & possessione, vti, frui, potiri & gaudere possint, & debeant, æque pariter absque vlla prorsus differentia & distinctione, in omnibus & per omnia, perinde ac si ab exordio institutionis hospitalis & militiæ S. Lazari, & etiam dicta militia S. Mauritij instituta, & ambæ inuicem & æque principaliter, ac conformi regula, obseruantia, disciplina, eisdemque legibus & institutis vnitæ, ac priuilegia, exemptiones, indulta, & alia præmissa vtrique militiæ specificè, & nominatim, coniunctim, indistincte, & expresse, concessa, & elargita fuissent, eisdem auctoritate & tenore extendimus, & ampliamus.

§. 13. Facultatem tamen obtinendi pensiones militibus, presbyteris, & capellanis prædictis, hospitalis & militiæ prædictorum, vsque ad summam quingentorum ducatorum auri de Camera concessam, ad summam quadringentorum ducatorum similiam limitamus, reducimus & moderamus.

§. 14. Decernentes præsentibus litteras, & in eis contenta huiusmodi, & ex eo quod causæ propter quas emanarunt, coram locorum Ordinariis, etiam tamquam à Sede prædicta delegatis, vel alias quomodolibet examinata, iustificata, verificata, & approbata, ipsique Ordinarij, ac prioratus, præceptorias, hospitalia, Ecclesias, capellas, & alia beneficia, sub suppressione, extinctione, & ad statum secularem reductione, per dictum Gregorium prædecessorem factis prædictis comprehensa, vt præfertur, ad præsens obtinentes, & quicumque alij quomodolibet interesse habentes ad id legitime vocati non fuerint neque in præmissis consenserint, aut quouis alio, etiam enormis, & enormissi

Vnionem d. Militiæ ap. probat.

Indultum reuocandi pensiones ad duc. 400. reducit.

Clausulas præsertim huius bullæ ap. ponit.

Et vij. reuocationes, & Gregor. XIII. suppressionem de locis in Hispania existentibus, irritat, & cum vacauerint Militia SS. Mauritij, & Lazari restituit.

& enormissimæ læsionis capite, vel prætextu, & ex alia causa quantumvis legitima, vrgenti, & iuridica, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quocumque alio defectu notari, impugnari, inualidari, retractari, in ius vel in controuersiam reuocari, ad terminos iuris reduci, aut aduersus eas quodcumque iuris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, aut etiam motu simili concedi nullo vñquam tempore posse, neque sub quibusuis vnionum, annexionum, incorporationum, suppressionum, extinctionum, dismembrationum, & effectum non fortitarum aliarumque similium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, limitationibus, modificationibus, suspensionibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam à nobis, vel quibuscumque aliis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, ac dicta Sede, etiam in crastinum assumptione eorumdem successorum nostrorum ad summum Apostolatus apicem, vel alias motu, scientia, & potestatis plenitudine, paribus, etiam consistorialiter, & alias quomodocumque, & qualitercumque pro tempore emanatis, quibuscumque formulis conceptæ, ac alias, & decretis irritantibus suffultæ fuerint, ac si de eisdem præsentibus, & earum toto tenore, ac data specialis, specifica, expressa, & de verbo ad verbum mentio fiat comprehendi, sed tanquam in Religionis, & Fidei Catholicæ fauorem, defensionem, & propagationem concessa, semper & omnino ab illis excepta, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant statum, restituta, reposita, & plenarie reintegrata, ac de nouo, etiam sub quacumque posteriori, etiam noua data per prædictum Carolum Emanuelem, & pro tempore existentem Ducem, & magnum Magistrum eligenda concessa, validae & efficacia fore & esse, ac suos plenarios, & integros effectus sortiri, & vim validi & efficacis contractus inter nos & dictam Sedem ex vna, ac prædictum Carolum Emanuelem Ducem, & magnum Magistrum, ac conuentum prædictos ex altera partibus rite initi, stipulati, ac & vtrunque iurati habere, & perpetuo obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit inuolabiliter obseruari.

*Clausulam
sua, &c.
addit.*

§. 15. Sicque per quoscumque Iudices ordinarios & delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac prædictos Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis & eorum cuiuslibet, quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, in quauis causa & instantia, iudicari, & diffiniri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quocumque, quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

*Executores &
defensores de-
putas.*

§. 16. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Taurinen. & Tarentasien. Archiepiscopis, ac dilecto filio causarum Curie Cameræ Apostolicæ generali Auditori per præsentem motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo aut vnus eorum, per se vel alium, seu alios eandem præsentem, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte, pro tempore existentium Ducis, & magni Magistri, ac Conuentus, priorum, præceptorum, & militum prædictorum, seu aliorum eorum desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra præsentem, & in eis contenta huiusmodi, ab omnibus ad quos spectat, & pro tempore spectabit inuolabiliter obseruari, ac singulos quos ipsæ literæ concernunt illis pacifice frui, & gaudere, non permittentes ipsos vel eorum quempiam desuper quomodolibet molestari. Contradictores quoslibet & rebelles, per censuras & pœnas Ecclesiasticas, ac etiam pecuniarias aliaque opportuna remedia iuris & facti appellatione postposita compescendo necnon legitimis super his habendis seruatis processibus censuras & pœnas ipsas etiam iteratis vicibus aggrauando; inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis.

*Contrariis
quibuscumque
derogas.*

§. 17. Non obstantibus præmissis & similis mem. Bonifacii Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, qua cauetur, ne quis extra suam Ciuitatem vel Diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis vltra vñam dietam à fine suæ Diœcesis ad iudicium auocetur, seu ne Iudices ab Apostolica Sede prædicta deputati extra Ciuitatem &

Diœcesim in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alij, vel aliis vices suas committere audeant, vel præsumant, & in Concilio Generali edita de duabus dictis, & Lateranens. Concilij nouissime celebrati vniones perpetuas nisi in casibus à iure permissis fieri prohibentes, ac nostra quatenus opus sit de vnionibus committendis ad partes vocatis interesse habentibus, ac exprimendo vero annuo valore secundum communem æstimationem, tam beneficiorum vniendorum quam illorum quibus vniuntur, necnon Pij V. huiusmodi, per quam inter alia voluit gratias huiusmodi suis non valere temporibus, & quod sibi licere, non est passus, id suis successoribus indicauit, necnon Sixti prædecessorum huiusmodi super habitu & tonsura clericalibus per obtinentes pensiones, aliaque res Ecclesiasticas vltra certam tunc expressam summam deferend. & præfata Constitutione Pij Quinti sub dat. 5. Idus Septembris, anno tertio sui Pontificatus, cuius tenorem, formam & continentiam de verbo ad verbum hic pro plene, & sufficienter expressio haberi volumus, cui etiam in specie pro hac vice tantum derogamus, & omnino derogatum esse volumus, & mandamus, aliisque Apostolicis, ac in Prouincialibus, Synodalibus, & vniuersalibus Conciliis editis specialibus vel generalibus, cõstitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon regnorum, & dominiõrum prædictorum, ac etiam Ecclesiarum & locorum quorumcumque etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus etiam quantumvis longissimo tempore obseruatis, ac legibus etiam municipalibus, & pragmaticis, aliisque sanctionibus. Priuilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis, illis eorumque Superioribus & personis cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis & conditionis existentibus, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus & in solitis clausulis, necnon irritantibus & aliis decretis per prædictos & quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros ac nos & dictam Sedem, & Motu scientia & potestatis plenitudine prædictis, etiam consistorialiter in genere vel in specie, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, approbatis & innouatis, quibus omnibus & singulis, etiam si de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica & expressa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda esset, illis alias in suo robore permanens, hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus; necnon omnibus illis, quæ singuli prædecessores prædicti, in suis quisque literis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque aut si Ordinariis aut aliis prædictis, vel quibusuis aliis communiter vel diuim ab Apostolica sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

§. 18. Volumus autem quod idem Carolus Emanuel, ac pro tempore existentes Dux & magnus Magister, duas Triremes militibus prædictis instructas pro Romani Pontificis pro tempore existentis contra hæreticos & Piratas, ac alios illius hostes defensione, iuxta literarum Gregorij prædecessoris huiusmodi formam, manutenere teneantur.

*M Magistri
duas Triremes
pro Sede
Apost. instru-
tas tenere
obligatum
declarat.*

§. 19. Quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarij publici, & sigillo ipsius militiæ Sanctorum Lazari & Mauritij, seu illius pro tempore existentis magni Magistri, aut alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus hæc adhibeatur in iudicio & extra, quæ ipsis præsentibus originalibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

*Transumptis
huius Bullæ
credi iubet.*

Dat. Romæ apud S. Marcum, sub Annulo Piscatoris, die 9. Septembris 1603. Pont. nostri anno 12.

*D. P. A. 12
die 9. Sept.*